

De Pandora.



Non tolerabilis de Pandora sermo diuulgatus est, quod cum ipsa ex terra formata fuisset, aliis quoque foeminis similem ipsa formam dederit. Mihi quoque hoc potius sic fuisse uidetur, quod Pandora mulier Græca fuerit ualde diues, que quotiens domo exhibat, sese plurimum exornate solebat, atque in primis pigmento quodam ex terra confecto sese perungens utebatur. Res quoque ipsa omnino sic se habet, nec alio quopiam modo. Quanquam sermo hac de re factus, ad impossibilia quædam conuersus fuisse uideatur.

Pandora ex luto à Prometheus formata cur, apud Hesiodum

De generatis ex fraxino.



Et quid quæso uilius magisque stultum est: quam primū genus hominum ex fraxino generatum esse dicere? Siquidem Melius uir potius quidam nomine fuit, à quo Meliæ foeminæ denominatæ fuerunt. Quemadmodū ab Helleno Hellenes græci, & Iones ab Iono dicti sunt. Ferreas insuper atque æneas, quod dicitur, ætates tunc fuisse nunquam omnino existimandum est.

Meliæ nymphæ apud interp. Apollo. et Hiero. in Omelijs. Aenææ ferreæque ætates, seu gentes nunquam fuerunt.

De Hercule.

Dicitur quod ex se ipso Hercules folia quædam habuit, ipse igitur Phyllires dictus, & si priuatus humilisque sortis existeret, cogitans tamen quorsum illa Hercules gestaret, combussit, sicque ratio inde tracta est hoc modo.

De Ceto.



De Ceto hæc quidem memoratur, quod Troianos è mari exiens inuadebat. Et siquidem ei puellas aliquas Troiani obtulissent, ab eis recedebat, si minus, eorum totam regionem deuastabat. Quam uero id fatuum sit credere Troianos filias proprias ceto exponere solitos fuisse, quis non uidet? uicum namque potius magnum quempiam nomine Cetum hunc fuisse dicendum est, qui cum rex esset, multum roboris uiriumque habens, ac in re nauali ualde potens, Paludē quandam in Asia, quam Troiani possidebāt, circa mare subuertit. Tributumque ab eis sibi ob id persoluebatur, quod quidam Dasmon, hoc est uestigal uocant. Argento autem eius temporis homines minime utebantur, sed uasis solum, ac supellectile omnia alia. Imperauit ideo rex ille, qui Ceton nomine dicebatur, ut ciuitates quædam tributi nomine equos sibi darent, aliæ uero puellas mitterent. Hunc uero regem, cui nomen erat Ceton, barbari Cetum uocabant, hic circumquaque loca illa adibat, & debito necessarioque tempore tributū ab iis promissum exigebat. Quod si quæpiam ciuitates persoluere recusaret, eorum regiones ac loca male tractabat. Peruenit & is quoque ad Troiam eo potissimum tempore quando Hercules illuc etiam exercitū Græcorū habens, uenit. Unde Herculem tunc Laomedon rex in Troianorū præsidium cōduxit. Ceton uero exercitum suū cum impetu in eos duxit. Cui cum obuiā Hercules & Laomedon cum copiis suis facti essent illum interfecerunt. Quo ex facto sermo fabulosus confictus est.

Dasmos tributū Argentū in usū pecuniarum antiquitus nō erat. Cetus. Ceton

Laomedon Hercule in auxilium Troianorum conducit

De Hydra.



Illud quoque super hydra dicitur, quod Lerneus serpens erat, quinquaginta capita, unicumque duntaxat corpus habes. Et postquam ex illius tot capitibus unū excisum fuissent, duo alia ibi capita repullulare solita fuisse. Cancrumque insuper illi aduersus Herculem hydram occupatē, auxiliatū fuisse. Si quis igitur sit, qui talia fuisse omnino persuadere sibi possit, fatuus his quidē est. Verū namque hoc habet. Lerneus rex erat, habitabāt autē omnes homines tunc tēporis in pagis, & unicuique locorum istorum reges sui præerant. Stenelus uero Persei filius, Mycenæ locū maximum & hominum frequentia habitatum, tenebat: huic Lerneus rex minime subiici uolebat, bellum ob id inuicem ambo gerebant, in ingressu autē regionis eius Lerni oppidulum quoddā fortissimum erat, quod quinquaginta uiri fortes sagittiferi custodiebant, quos intra turrim incluserat, ac diurno nocturnoque tempore pro præsidio eius loci

Lerneus rex. in Pagis habitantes homines

1 a detine